1561 d. 17 Julii

Ex Ms. Bielinsciano

271

Eidem Regi Sig. Aug. Cumerius.

Nunc iam certiora Mti V. regiae scribere possum de concilio. Ante sextam diem Caes. Mtas e templo domum revertens indicavit mihi et oratori Veneto, S. regem Hisp: iam bullam concilii acceptasse, et oratores suos atque eppos Tridentum mittere statuisse. Galliarum autem regem, ad vicesimam diem hujus mensis conventum prelatis, et provincibus suis indixisse. Ac suspicari quidem homines, nationale concilium id futurum esse. Verum disertis verbis in edicto (: quod ego quoque postea vidi :) scriptum esse ut constituatur, quinam et cum quibus mandatis profecturi sint ad concilium. Itaque mandari eppis, ut veniant parati et viris doctis committati, ut inde Tridentinum proficisci sine mora possint. Nihil igitur iam fore in mora quin concilium aperiatur. Dixi ego nostrates quoque designatos et paratos esse, non esse tamen adhuc iter ingressos, quod certius aliquid expectarent. Nunc iam sperare me eos non esse futuros in mora. Ad haec Caes. Bene factum est inquit. Melius est ut omnes nationes simul adsint, nec alias expectent aliae. Mox ego quaesivi haberetne etiam Mtas ejus Caes. quippiam responsi de negotio Mtis V. regiae ex Hispaniis. Non inquit, elixissem vobis. Ita finitum est colloquium nostrum. Hodie vero Ill. D: cardinalis Varmiensis accepit Roma et ex aula Hisp: literas quibus ei scribitur. Regem Hisp: praecepisse omnibus eppis regnorum ac ditionum suarum, ut se in viam dent, cum primum calores aestivi remiserint, et per totum Septembrem Tridentinum perveniant. Ipse quoque iam hinc se Tridentum conferre jussus est. Ubi adsunt iam viginti ni fallor eppi cum duobus legatis cardinalibus.

Per eundem

Per eandem postam Hispaniensem ego quoq[ue] a D. Rolshio literas accepi ante duos menses scriptas. Quibus mihi scribit se nihil adhuc egisse cum S. rege Hispaniæ expectantem responsum ad ea, quæ hinc utergue mense Februario, ni fallor Mti V. regiæ scripsimus. Intelligo id non esse placiturum Mti V. regiæ, sed nulla est in eo culpa mea. Sic enim inter nos convenerat, ut ad finem Aprilis tantum expectaret. Quod ego prius etiam Mti V. regiæ semel, atq[ue] iterum scripsi. Nec multo ante ille ad aulam regiam pervenit. Vellem equidem confecisset iam aliquid. Verum si Mtas V. regia compromissum cupit progredi, debet æquo animo ferre moram illam. Quærentur enim ab adversariis (: quod Vræ quoq[ue] Mti Neapoli scriptum esse arbitror. occasiones ut a compromisso, ad ordinarium judicium Neapolitanum, causa revocetur. Quod restat ~~etc~~ m. Viennæ 17. Julii 1561.

Na konsylium neapolili Hiszpani. W naszym Inkwestie isvre nie ma odpowiedzi.